

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XI. Animas piorum non fuisse in cœlo ante Christi ascensionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

piorum ac reproborum longissimè distet ab eo loco, in quo Angelos ac beatos homines perpetuò futuros non dubitamus. Locus autem beatorum (etiam aduersariorum testimonio) cœlum est: à cœlo verò nihil abest longius, quam terræ centrum.

C A P V T XI.

Animas piorum non fuisse in cœlo ante CHRISTI ascensionem.

 VANTVM ad SECUNDVM, quod animæ piorum non fuerint in cœlo ante Christi ascensione probatur PRIMO, quia est ea sententia profusa in audita in Ecclesia Dei. Id quod sanè deberet sufficere ad refutationem. PRÆTEREA Gen. 37. Jacob ait: *Descendam ad Filium meum in infernum.* Pius erat Iacob, pius etiam Ioseph: & tamen utrumque non ascendisse ad cœlum, sed ad inferos descendisse, Scriptura significat. ITEM *Luc. 26.* diues in inferno cum esset, vidiit a longè animam Lazarus in sinu Abraham, & audiuit, inter loca ipsorum magnum hiatus esse; id enim significat χάσμα; ex quo apparet, nihil solidi fuisse interiectum inter locum damnatorum & sinum Abrahæ, sed utrasq; animas in eadem voragine fuisse, licet mortuæ inter se distantes. ITEM lib. 1. Regum, cap. 28. anima Samuels apparens Sauli de terra ascendere visa est.

Et quamvis non desint qui negent, illam fuisse veram animam Samuelis, tamen opinio contraria, & communior, & probabilior, & tutior est. Id enim docent JOSEPHVS lib. antiq. cap. 15. Iustinus in Dialogo cum Triphone. Basilius p. 80. ad Eustachium. Ambrosius in 1. cap. *Luc.* Hieronimus in 7. *Isaiæ.* Augustinus de cura pro mortuis, cap. 15. Encyclopiæ, Litanus, Abulensis, Dionysius Carthusianus, & Cletanus in eum locum. Et deducitur satis aperte ex terribilinæ Scripturæ: *Cum vidisset, inquit, mulier Samuelum filium eius.* Dixit Samuel ad Saul. Item: *Intellexit ergo Saul, quod Samuel esset.* Certe non diceret Scriptura, Intellexit, sed putavit, vel cogitauit, si non esset verum.

Præterea in Eccles. cap. 46. ponitur in laudibus Samuelis

quod mortuus prophetauerit, & annunciauerit Regi, quæ ventura erant. At quæ laus esset Samuelis, si non ipse, sed dæmon aliquis in eius forma apparens futura prædixisset? At incredibile videtur, animam tanti Prophetæ subiectam fuisse incantationibus Pythonissæ. Id quidem est verum, atq; idcirco apparitio Samuelis præuenit incantationem, & eius effectum. Id quod intelligi potest ex perturbatione mulieris, quæ turbata est, cùm vidi Samuel apparuisse antequam euocaretur.

Præterea idem patet ex I. Pet. 3. *Iis qui in carcere erant spiritibus predicauit, qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabat Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Hic dicuntur animæ in carcere fuisse, non ergo erant in cœlo; nam ridiculum est dicere animas in cœlo, tanquam in carcere inclusas fuisse, cùm cœlum sedes Dei sit. Neq; obstat quod videtur hic agi de spiritibus impiorum, nam Calvinus admittit agi de spiritibus iustorum. Sed de hoc loco paulò post agemus.

I T E M Zachar. 9. *Tu autem in sanguine Testamenti eduxisti vincitos de lacu, in quo non erat aqua.* Quem locum Hieronymus & Rupertus in commentario exponunt de descensu Christi ad inferos. Et sane conuincitur hinc, animas Sanctorum ante Christi mortem non fuisse in cœlo, vt Calvinus, & Beza volunt; nec enim cœlum per lacum significari potest; aut ex cœlo Dominus Sanctos suos eduxit; aut in cœlio ulli sunt vinci.

Quod autem CALVINVS dicit lib. 2. Inst. cap. 16. §. 9. à Zcharia vocari lacum sine aqua, profunditatem Babylonicas captiuitatis, vnde liberati fuerunt Iudæi, nullam habet probabilitatem; Nam in verbis præcedentibus ponitur vaticinium de Christo: *Exulta filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi, Ec.* Quod Euagelistæ de Christi ingressu in Hierosolymam exposuerunt, Matthæus cap. 21. & Ioan. cap. 12 inde fit apostrophe ad ipsum Christum; & tu in sanguine Testamenti. Quomodo ergo ista cohærent, si de captiuitate Babylonica ageretur? & præterea in quo sanguine Testimenti liberati sunt Iudæi de Babylone?

Deniq; Patres cōmuni consensu hoc docent. IRENAEVUS lib. 5. circa finem. Tertullianus lib. 4. in Marcio. Origenes

Aa 4 in

in cap. 5. ad Rom. Cyrilus catech. 4. Cyrilus alter libro de recta fide ad Reginas, in fine locorum ex Matth. Hilarius lib. 10. de Trinitate. Basilius in Psalm. 48. Athanasius in epistola ad Epictetum. Epiphanius heresi 46. Ambrosius lib. 3. de fide, cap. 3. Hieronymus in cap. 9. Zachar. in tertium Ecclesiast. Primasius in cap. 5. Apocal. Gregorius lib. 13. moral. cap. 21. Concilium Toletanum IV. cap. 1. Denique AVGVSTINVS, et si in epistola 99. ambigere videtur, an sinus Abraam, ubi errant animæ Patrum olim, in inferno esset an alibi: tamen lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 15. affirmat in inferno fuisse, ut certi omnes Patres semper docuerunt, quorum verba in sequenti capite referemus.

CAPVT XII.

CHRISTVM ad inferos descendisse vere, ostenditur ex Scripturis.

 VANTVM ad TERTIVM, probo ex Scripturis, Christum vere descendisse ad inferos. PRIMVS locus, qui tamen non conuincit, sed probabilitatem suadet, habetur in illis verbis Psalmi 107. Contrivit portas areas, & vectes ferreos confregit. Hunc enim locum intelligunt de descensu ad inferos, HILARIUS in Psalm. 138. Ambrosius libro de mysterio Paschæ, & alij, sed in sensu mystico. Nam ad literam certum est tractari de liberatione ab Ægypto.

SECVNDVS locus est Ecclesiastici 24. vbi sic loquitur sapientia Dei: Penetrabo omnes inferiores partes terre, & impiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sferantes in Domino. Hic locus non conuincit hæreticos, tum quia ipsi non recipiunt hunc librum, tum etiam quia haec verba desunt in Græco textu, tamen apud Catholicos suam haberant autoritatem.

TERTIVS locus adducitur ex illo Matt. 12. Sicut fui Iesus in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ. CALVINVS in ptychopannychia vult, ventrem ceti fuisse figuram mortis, quæ Christum triduo detinuit. At Christus dicit, ventrem ceti similem fuisse cordi